



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,  
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,  
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ  
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

IX. De Datario, & aliis Datariæ Officialibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](#)

jurisdictionem, & ob annexum munus fixi Consul-  
tors dictæ Congregationis seu tribunalis Inqui-  
sitionis. Tum etiam, quia cum ad praescriptum A-  
postolicarum Constitutionum ad decorandum  
clerum regularem, congruat aliquos Religiosos  
Cardinalium Collegio cooptare, iste reputari solet  
gradus valde proximus hinc dignitati, ut praxis  
plures probavit; Ac ultra præmissa, est etiam fi-  
xus, & continuus concionator Palatii seu familiae  
Pape in confutis prædicationis temporibus, Ad-  
ventus scilicet & Quadragesima.

Officium Auditoris domestici Pape, est de jure  
10 potius aulicum, seu priuatum, quam publicum, vel  
curiale, dum apud antiquos Practicos, alioque  
Doctores, mentionem facientes de Officialibus  
Pape, & Curia, de hoc ministro non agitur, quo-  
niam in sensu aliquorum Auditorum Pape est Au-  
ditor Cameræ, Cicer probabilior videatur sensus  
aliorum, quod Auditor Cameræ est potius Au-  
ditor Camerarii, ut in sua sede, infra dis. 34. Ita-  
que pars privata Auditoris Pape, antiquitus  
probabiliter implebat dictus Magister S. Palatii,  
ut supra.

Illi autem Officialis munus, principaliter  
consistit in adjuvando Pontificem in studiis, quan-  
do interveniat in Congregationibus, sive in aliis  
negotiis per se ipsum explicandis, in Consistorio  
vel in Aula, sive in Signatura gratiæ, eo modo,  
quo faciunt omnes Auditores Cardinalium, ac e-  
tiam Praelatorum; Atque ab aliquo moderno tem-  
pore, nostra æate, illi injuncta est cura se infor-  
mandi de qualitatibus eorum, qui Pape propo-  
nuntur pro regimine Ecclesiastiarum Cathedralium, &  
Metropolitanarum.

In forensibus autem, juxta pariter modernam  
introductionem, ejus munus principaliter versari  
videtur in iis, quæ concernunt recursum ad Sig-  
naturom Gratia, ideoque de hoc agitur infra in  
dictæ Signaturæ rubrica particulari. discursu  
30.

Alii vero aulici officiales, ut sunt Prefectus cu-  
biculari, Pincerna, Dapifer, Eleemosynarius, & alii,  
nullam habent jurisdictionem, ac propterea nul-  
lam figuram faciunt in ordine hierarchico Curia  
12 Romana; Bene verum, quod primum praesertim  
munus Prefecti cubiculari, esse solet magna exis-  
timationis, & quandoque exerceri per seniorem  
nimiumque qualificatum Praelatum, qui transierit  
per gradus, & munera, etiam majora, ideoque me-  
reatur dici proximus purpure, ad quam ab hoc  
munere transitum fieri frequens praxis docet; Ut  
praesertim nuper ea docuit in Clemente X. qui al-  
teri Clementi immediato predecessor post plura  
etiam primaria munera laudabiliter exercita Epis-  
copi Camerinenis, Nuntii Neapolis, Nuntii Col-  
legii Cardinalium ad Principes Italiae; Et Secre-  
tarii Congregationis Episcoporum, & Regularium,  
ad hoc munus afluximus, fuit successor immedi-  
atus; Ideoque ad Curiam aulicam potius,  
quam ad forensem istorum, & alio-  
rum officialium munera  
pertinent.

• 5(0)50

Card. de Luca. Relatio Curia Romana.

## DISCURSUS IX.

De Datario, ac aliis Datariæ Officia-  
libus.

S V M M A R I V M.

- 1 **D**e agentibus de hac materia Datarie, & de vo-  
cabulo Datarii.
- 2 **Q**uale sit institutum Auctoris in universa hac  
relatione.
- 3 **Q**uare expeditat antiquum statum scrutari, &  
scire.
- 4 **I**n quo consistat aequivocum scriptorum, de quibus  
num. 1.
- 5 **I**n quo propriè consistat munus Datarii, & quod  
ipse non conficit lucras.
- 6 **Q**uae sint negotia, que transeunt per Datariam.
- 7 **Q**uae negotia antiquitus per Papam explicabantur.
- 8 **E**t per qua organa hodie dicta antiqua negotia tran-  
seunt.
- 9 **Q**uae concessiones siebant per Pœnitentiariam, &  
hodie sunt per Datariam.
- 10 **M**ulta negotia, que expedientur per Datariam,  
sunt moderna.
- 11 **D**e origine, & introductione reservationum, & affe-  
ctionum Apostolicarum in beneficiis.
- 12 **Q**uod per reservationes penè amibilata sit potestas  
Ordinariorum in collatione beneficiorum.
- 13 **D**e quo tempore, & ubi cuperint reservationes A-  
postolicæ beneficiorum.
- 14 **D**e causa intruditionis officii Datarii.
- 15 **G**ratia anterior prevaleat, ac attendi debet.
- 16 **Q**uale item sit munus, vel officium Datarii.
- 17 **D**e ethymologia vocabuli, vel nominis Datarii.
- 18 **Q**uibusc perfonis hoc Datarium munus in jungatur, &  
præserit Rota Auditoribus.
- 19 **C**ardinales non vocantur Datarii, sed Prodata-  
rii.
- 20 **D**e Subdatario, & per obitum.
- 21 **D**e munere Datarii in preparando negotia Pape  
proponenda, & de signatura supplicationum.
- 22 **D**e codem Subdatario.
- 23 **D**e data, que apponitur supplicationibus signa-  
tis.
- 24 **D**e primo, & secundo revisore, aliisque officialibus, &  
quod isti aliqua cancellent.
- 25 **D**e registratione que gratiam persicit.
- 26 **D**atarius potest lacerare supplicationes signatas an-  
te registrationem.
- 27 **S**ola supplicatione sine literis non sufficit & quando-  
secus.
- 28 **E**x stylo Datarie, & Cancellarie desumitur volun-  
tas Pape, & regulatur materia surreptionis.
- 29 **D**e stylis Datarie.
- 30 **D**e conclusione quod in Papa non detur ignoran-  
tia iuris, unde deriveat.
- 31 **D**e controversiis forensibus, & contentiosis que in  
Dataria habeantur.
- 32 **D**atarius declarat voluntatem Pape.
- 33 **C**ontra assertiones Datarii non admittuntur proba-  
tiones.
- 34 **A**n credatur attestacionibus Datarii post dimissum  
officium.
- 35 **D**e transumptis literarum Apostolicarum earum,  
que forma hodierna.
- 36 **D**e gratiis quæ signantur in forma Concessum.

Ec 2.

Mo.

**M**odernus rerum Dataria scriptor, Amayden  
de stylo Datarie capitul. 1. & 2. agendo de hu-  
jus vocabuli Datarij, ethimologia, hujus-  
que maneris antiquitate, seu introductione, & an-  
tiquitus hic officialis diversus est à Vicecan-  
cellario. Ad hanc diversitatem probandam, multa  
recentur antiqua diplomata Apostolica, in quorum  
subscriptionibus ille Cardinalis, qui cancellarii,  
vel scriber munus gerebat, non semper Cancella-  
rium se enunciat, sed quandoque bibliothecarium,  
& quandoque scriniarum, vel sub aliis titulis &  
nuncupationibus.

2. Quamvis autem meum non sit, istas, ut pluri-  
mum superflua, antiquitatis questiones aslumere,  
dum institutum directum solum est ad publicam  
utilitatem, ex solo motivo charitatis, præterum er-  
ga exteris, ut a Curia negotia in Curia Romana,  
sciant quam viam aggressuri sint; Sive ut ab ea-  
dem Curia in partibus, expeditiones habentes,  
earum speciem seu qualitatem agnoscant, atque à  
malis Curialibus, vel crumenarum iniquis tortori-  
bus, non decipiatur; Hinc propterea, neglecta anti-  
quiti rerum status indagatione, pro dicto instru-  
ctivo fine, congrua solum, ac sufficiens reputatur  
practica enarratio status praesentis; In hoc tamen,  
Datarii munere, vel Dataria Tribunal (ut etiam  
in aliquibus aliis Tribunalibus) pro eodem instru-  
ctivo fine, ac regulatione rerum praesentium, non  
incongruum est, aliquid super origine, vel antiquo  
statu perseruari, ut ad meliorem officii, vel tribu-  
nalis cognitionem deveniatur.

4. Aquivocum itaque videtur illud praefati Mo-  
derni scriptoris, ex dictis diversis antiquorum di-  
plomatum subscriptionibus, inferre ad hoc munus  
Datarii, quoniam, quidquid sit de diversitate,  
inter antiqua inunera Archidiaconi, Cancellarii,  
Archivariorum, Scriniarii, Scribe, Bibliothecarii vel  
similia, Non tamen exinde inferri potest, ad anti-  
quitatem hujus officii Datarii; Tum quia, attento  
antiquo statu, Curia Papæ, nullum ferè expediebat  
negotium, ex lis, que hodie ad Datariam pertinent  
ut infra; Tum etiam quia, ex lectura Indultorum  
Apostolicorum, aliarumque concessionum, que  
per literas in forma bullarum, seu privilegiorum,  
concessa apparent, ad hoc munus datarii inferri  
non potest.

5. Siquidem, attento etiam hodierno statu, ipsa nec-  
toria, que per organum Datarii à Papa explic-  
antur, reducuntur ad dictam formam literarum  
Apostolicarum, per diversum organum Cancel-  
laria, cum subscriptionibus (pro negotiorum di-  
versa qualitate) Vicecancellarii, aliorumque Can-  
cellariae officialium, non autem Datarii, eiusque  
officialium, quorum munus est solum circa sup-  
plicationes originales, in quibus gratia per Papam  
concessa contineantur, Et ex quibus, postquam  
per omnia Datariae organa, legitimè transferunt,  
adeòt perfecte, & authenticæ matrices dici va-  
leant, Vicecancellarius, eiusque officiales literas  
solemnies, quæ bullæ vulgo dicuntur, conficiunt,  
tanquam per speciem illius publici instrumenti,  
quod in publicam formam probantem, à matrice,  
seu ab originali imbreuatura, in forma magis lata,  
& solemni, per notarium redactum sit, ut partibus  
tradatur, ad probationem & exequationem, ita fin-  
gendo duos eiusdem contractus, vel dispositionis  
Notarios diversos; Unum scilicet, ad quem perti-  
neat rogatum vel stipulationem facere, in matrice,  
vel prothocollo; Et alterum ad quem pertineat, ex

eadem matrice, vel prothocollo; publicum reassem-  
bile instrumentum in forma solemni; Et per con-  
sequens clarum aquivocum est ex antiquarum bul-  
larum subscriptionibus, ad istud Datarii munus  
inferre.

Potissimum quia (ut præmissi fuit,) in illis anti-  
quoribus temporibus, que ab eodem Scriptore  
expenduntur, Papa forte nihil, vel parum, se inge-  
rebat in illis negotiis, circa que penè totum Data-  
rii munus hodie versatur; Ut nempe sunt collatio-  
nes beneficiorum reservatorum vel affectorum.  
Nec non reservationes pensionum super eisdem;  
Ac dispensationes matrimoniales, altè dispensa-  
tiones puta super natalibus, vel super irregulari-  
tate, aut super bigamia, vel super ætate, & similes;  
Ac etiam sunt Apostolica beneficita super aliena-  
tionibus honorum Ecclesiæ; Vel concessions  
officiorum venalium, & similia, que omnia moder-  
na sunt, dictis antiquis temporibus incongrua,  
quando Papa uti Papa, non autem uti Episcopus  
particularis Urbis, solum se ingerere videbatur in  
provisionibus Cathedralium, & Metropolitanarum,  
& aliquarum Monasterialium; Sive in novis  
carundem Cathedralium, & Metropolitanarum  
creationibus, Aut in carum, & aliquorum Monas-  
teriorum exemptionibus, a Metropolitano, vel  
Ordinario respecti, recipiendo sub immediata  
B. Petri, ac Sedis Apostolica jurisdictione, & protec-  
tione; Aut in illis indultis, & privilegiis, que  
pro bono fine, ita illorum temporum conditione  
exigente, etiam circa spiritualia, Principibus se-  
cularibus, vel Republicis, aliquisque Universitatibus  
concedebantur; Et ex quibus domine in absens  
transfuntibus, tot eidem Sedi dama, & præjudi-  
cia irrepere; Atque super his, antiqua diplomata  
Apostolica circumferuntur.

Ista vero non sunt negotia Datariae, neque per  
Datarii Organum explicantur; Si quidem, Cathe-  
dralium, & Metropolitanarum, & aliquorum mo-  
nastrorum provisiones, novæq; 7 erectiones, vel uni-  
ones, aut divisiones, vel concessiones pallii, expe-  
diuntur per viam Consistorii; Et sic per organum  
Vicecancellarii, a quo expedituntur literæ; Atque  
alia indulta, de quibus supra, hodie, vel pariter per  
Consistorium, & sic per organum Cancelleria, non  
autem Datarie, vel per alterum organum Secre-  
tariorum Brevium expedituntur *disc pæced.*

Moderna vero sunt, serè omnia negotia, que  
ad Datariam pertinent; Siquidem praefatae dispen-  
sationes, tam matrimoniales, quam alia (aliisque  
gravissimis & insolitis casibus exceptis,) usque ad  
recentia tempora Pij IV. a deo unius tantum flexu  
culi decursu accedat, concedebantur per organum  
Pognitiariorum ut infra in eius particulari rubrica  
advertisit; Idemque sequebatur in bene-  
placitis Apostolicis super alienatione hono-  
rum Ecclesiæ, vel in aliis Apostolicis al-  
fensibus seu confirmationibus. *infra discursu*  
12.

Collatores vero beneficiorum reservato-  
rum, exceptis illis Urbis quæ à Papa confere-  
bantur tanquam Episcopo, & Joci Ordinario,  
sunt recentes, ob recentem usum reservationum,  
& affectionum Apostolicarum; Magis  
que recentes sunt reservationes pensionum  
ecclesiasticarum super eisdem beneficiis,  
vel super Cathedralibus, & Metropolitanis,  
ac

ac Monasteriis; Ac etiam modernus est usus ve-  
niuum, vel gratuitarum concessionum aliquorum  
officiorum Romanae Curiae.

Quatenus enim ad beneficiorum reservatio-  
nes, vel affectiones Apostolicas, & successive ad  
reservatorum collationem pertinent, Juris communis,  
vel facrorum Canonum dispositione attenta,  
omnia ecclesiastica beneficia, tam curata, quam  
non curata, cuiuscumque qualitatis, etiam digni-  
tatem pra se ferentia, quocumque tempore, in quo-  
cumque loco, & ex cuiuslibet possessoris morte na-  
turali, vel civili videntur, pertinent ad Episcopos, vel  
Ordinarios, in cujus diocesi vel territorio sita sint,  
nisi lex fundationis, vel antiqua consuetudo, aut  
alter legitimus titulus, alteri inferiori ac privato  
collatori extraordinariam seu accidentalem facul-  
tatem tribuat; *tit de benef. disc. 1. & segg.* Adeout  
Papa, prae ter provisionem Cathedralium, & Metro-  
politanarum, & aliquarum Monasterialium seu  
Collegiatarum, cum territorio separato per viam  
propriae electionis, vel creationis, seu per viam confir-  
mationis, electionis, vel nominationis, alia non ha-  
beret collationem beneficiorum, nisi ordinarii  
ratione particularis Episcopatus Urbis, vel aliam  
nimiam raram jure devolutionis, tam ab Ordina-  
rio, quam a Metropolitano, Paulatum vero ad pre-  
ces eius familiarium, aliorumve Aulicorum, vel Cu-  
rialem, cupientium provideri de beneficiis in pro-  
pria diocesi existentibus, inolevit usus, quod Pa-  
pa illos ordinariis collatoribus commendaret,  
prae tertius postquam irrepsit usus dari Ecclesiis  
Cathedralis, & Metropolitanas ac etiam monaste-  
riales incommodam Cardinalibus, & Prelatis, a-  
liisque Romanam Curiam sequentibus, absque o-  
nere residencia; Unde propterea dici ceperunt  
provisiones ordinariae, ad commendationem Pa-  
pæ; Multumque rari erant casus, in quibus ordina-  
rio collatore inciviter Pape commendationem  
parvi faciente, ipse uteretur eius alibi insinuata po-  
testate. Ordinarii Ordinariorum, præveniendo lo-  
cales Ordinarios in collatione beneficiorum, alio-  
que exercitio ordinariæ jurisdictionis ac potesta-  
tis; *supra disc. 2.*

Ab hoc initio ortum duxerunt omnes Aposto-  
lica reservationes, & affectiones, per quas, vel rati-  
one temporis, vel ratione personæ, aut ratione rei,  
seu qualitatibus, aut ob accidentalem appo-  
sitionem manuum Papæ, occasione resignationis,  
vel coadjutorie, præfata Ordinariorum jurisdictione  
seu facultas, valde restricta est. Siquidem translata  
Sede Apostolica in Galliam, in Civitate Avenio-  
nense circa annum 1324, introduci cœpit reserva-  
tio personalis, & realis, aliquorum scilicet nimium  
qualificatorum beneficiorum seu dignitatum, dum  
prius vigebat localis eorum, quæ vacarent in Cu-  
ria Papæ, vel per mortem aliquorum eiusdem Cu-  
riæ qualificatorum Officialium; Deindeque pau-  
latim per regulas Cancelleriarum sequentes sunt alia  
reservationes illa præsertim major magisque gene-  
ralis temporis, octo scilicet mensium cuiuslibet  
annii. Idque de consequenti, vel introduxit, vel ni-  
mium ampliavit reservationes pensionum ecclesi-  
asticarum super eisdem beneficis.

Cum itaque huiusmodi provisiones non publi-  
cè in Consistorio, sed privatim in aula, per suppli-  
cantes libellos, aut per supplications manu Pape  
signatas fierint, Causa autem preberet, quod idem  
Papa ex negotiorum multiplicitate non valens  
omnia memoria retinere, eadem beneficia pluribus  
personis conferret, unde propterea continua orie-  
bantur iurulia, super temporis anterioritatem, quæ

*Card. de Luca. Relatio Curia Romanae.*

etiam in beneficialibus, atq; in gratiarū concessione-  
bus attendenda est, quod scilicet gratia anterior  
posteriori præfertur; *Buratt. & add. dec. 42. & pas-*  
*sim.* Idecirco quandam privatum potius, seu fiducia-  
rum ministerium, tanquam per speciem Secretarii,  
ad id depudare congruum fuit, qui curam huius-  
modi supplicationum, & expeditionum haberet,  
atque postquam Papa per eius signaturam gra-  
tiam perfecit, ipse adnotaret tempus seu diem, ut  
ita dignosceretur, quænam essent gratias anterio-  
res, & quæ posteriores; Ac etiam (& fortius) ut ita  
convinci posset, an conguo tempore, gratia petita,  
& respectivè concessa esset, eo quia absque veri-  
simili notitia mortis, beneficia adhuc non vacata,  
quando recens vacatio sperabatur, extorqueri so-  
lebant, ut etiam hodierna praxis quandoque docet.

Idemque minister, vel officialis qui hanc habe-  
bat curam, adnotandi scilicet datam temporis,  
tanquam rerum beneficialium peritus, gerebat  
quoque munus Consiliarii, vel Auditoris Papæ  
ad esse & tum inspiciendi, eidemque consulendi, an  
illa vacatio caderet, necne, sub eius reservationi-  
bus, ac provisione; Seu quomodo pro beneficio-  
rum qualitate provisio facienda esset; Aut an ora-  
tores, qui supplications porrigit, essent digni,  
acidonei, nec ne.

Exinde propterea prodit hoc Datarii nomen,  
seu vocabulum; Non quidem à verbo *dare*, quo-  
niam non ipse, sed Papa dat beneficia, aliaque  
gratias, sed ab alio barbaro, a lingua latina *Pro-  
fessoribus* ignoto vocabulo *Datare*, quia scili-  
cet adnotabat datam, quæ in Principum legibus,  
ac provisionibus, & gratis, ab antiquo tempore  
adhiberi consuevit, ut docet tenor plurium Imperi-  
trialium Constitutionum in Codice, ac etiam do-  
cent Apostolica Constitutiones, aliaque deploma-  
ta etiam antiqua.

Die & que circumstantie, circa quas Datarii  
munus versatur, præterim Consiliarii, summique  
fiduciarii Papa causant, ut hoc munus; Prelatis  
nimium qualificatis, atque in materia beneficiali  
bene versatis injungi soleat; Illudque præferit  
quoque gradum, pro frequentiori contingentia  
purpureum proximum; Atque pro nostra ætate, seu  
recordationis præxi, continuatus fuit stylus lex  
Pontificum a Gregorio scilicet decimo quinto, ad  
regnantem Clementem Decimum, quod Data-  
rius assumptus fuerit ex Rota Auditorio; Sub  
Gregorio enim decimo quinto, hoc munus exercuit  
Merlinus talis doctrinæ, qualem eius decisiones  
probant, & qui omniam Pontificatus brevia-  
tem, ad majora non transit; Sub Urbano VIII.  
successore assumptus fuit Cavalierius, cuius decisi-  
onum quoque volumen habemus, qui purpuram  
assequutus est, Sub Innocentio Decimo succes-  
sore fuit Datus Cecinus, pariter Auditor, brevi-  
assumptus ad cardinalitatem dignitatem, in qua e-  
tiam continuavit in officio, Sub Alexandro VII.  
successore, idem officium commendatum fuit Cor-  
rado, jam qualificato, & docto Cardinali, creato  
per Innocentium prædecessorem, quietiam per  
plures annos Rotæ Auditor fuerat; Idemque se-  
quutus est sub Clemente IX. successore, in parti-  
ter qualificato & docto Cardinali Othobono, qui  
Corradi in promotione collega fuit, cuius  
decisionum volumen habemus; Atque sub Cle-  
mente X. regnante ac successore, ad hoc munus e-  
vocatus fuit in statu Auditoris Rotæ Carpinensis,  
nunc pariter qualificatus & doctus Cardinalis, ac  
Urbis Vicarius, qui in eiusdem munericis exercitio  
continuat.

Ea verò dignoscitur differentia inter Datarios, qui sunt in statu Prælatura, & eos qui cardinalitia dignitate jam polleant, quoniam isti posteriores, non Datarii, sed Prodatarii vocantur, forte quia non congruat eximia cardinalitatem dignitatibus, afflumere officium inferius, ac prælatitium, quod ita provisionaliter, seu jure cuiusdam commendationis, per Cardinalem administrari non incongruat.

Ac etiam in eadem nostra atate, seu recordatione, sub Urbano VIII, ab eodem Rota Auditorio assumi vidimus ad munus Datarii Cardinalis Barberini nepotis, in Legatione de latere ad Reges Catholicum, & Christianissimum, pro pace inter eos incunda, bellisque componendis; *Pamphiliūm*, qui Cardinalis etiam creatus eiusdem Urbani successor fuit, sub nomine Innocentii X.

Habet item Datarius plures adjutores, & officiales, cum distributione inter eos munerum ad eundem finem tendentium, ut ita occuratur fraudibus, quodque adeo gravia negotia fideliter, & bene administrarentur, ex quibus duo primi, seu majoris, unus vocatur *Subdatarius*, qui ex ordine Advocateorum vel Patronorum, in materia beneficii bene, tam theorice, quam practicè peritus, assumi solet; Et alter vocatur *per obitum*, assumi solitus ex ordine Procuratorum, seu Expeditorum Datariae, in eadem beneficiali materia, aliusque Dataria negotiis, practicè, nimium peritus; Isti que habentes supplicationes, aliaque negotia inter se bene distributa, se esse videntur quidam Assistentes, vel consilia-

rii Datarii, qui cum eorum consilio, in congregationalibus quotidiè haberi solitis, auditis Partium, vel Expeditorum instantiis, & quandoque etiam contradictoriis, ac examinatis prætentorum qualitatibus, ita bene preparat negotia proponenda Pontifici, cui in audiencia, quam habet, singulis diebus non impeditis, proponit personas, qua pro vacantibus beneficiis supplicant, eorum qualitates fideliter referendo ut Papa inter plures eligat; Ista que electione sequita, eidem porrigitur supplicationes eorum, qui electi sunt, ac etiam aliae, que sine hac discussione vel concursu porrigitur super resignationibus vel coadjutoriis, aut dispensationibus, vel provisionibus officiorum aliorum, que gratis, quas Datarius consulat esse concessibilis, ac stylo non adversari, quas Papa manu sua signat, seu subscriptit, huicque assisteret solet Subdatarius, qui Papæ in aliquibus operibus subscripti inservit tanquam primus Datarii minister bene informatus, & qui in casu infirmitatis, vel alterius impedimenti Datarii dictas eius vices, cum Papa expiet.

Unde propterea quandoque praxis docuit, quod permortem vel per dimissionem defecto Datario, Pontifex ipsum ministrum ad principale Datarii munus assumere consuevit, utpote jam fiduciarum, & jam informati, ut pro nostra pariter recordatione praxis docuit in Urbano VIII. & Innocentio X.

Signatis supplicationibus manu Papæ, Datarius ad proprias regrediens mansiones, in eadem die, vel in altera, prout sibi pro negotiorum qualitate, opportunum videatur, datum adjectit, quam aliquando, ex supervenientiis melioribus informationibus, negare solet, ac potest, unde propterea supplicatio, quamvis signata manu remanet; Sequuta verò data supplicationes illorum negotiorum, pro quibus componenda solvatur; transfeunt per manus illius, qui componenda officialis vel administrator sit, ne alias illorum negotiorum expeditio sequi valeat, deindeque iste, ac aliae, in

quibus hic officialis se non ingerit, per organum cuiusdam alterius officialis qui *Misis* dicitur, transfeunt per manus aliorum duorum officialium, qui sunt hujusmodi negotiorum valde practici, & qui primo, si unus deindeque Alter omnes supplications revident, id est nuncupantur primus, & secundus Revisor, istique eadē supplications quamvis signatas, & datatas, in plerisque corrigit ac reformant, clausulas addendo, vel minuendo, & pleraque etiam cancellando, seu interlineando, etiam ea, quæ narrari debent pro validitate gratia, sed pro stylo, incongruum reputatur enarrati in literis desuper expedientis; *juxta casum enunciatum* tit. de benef. disc. 36. Et postquam per istos approbata, & correc̄ta sint, transfeunt ad manus alterius officialis, qui Registrator, seu magister registrorum dicitur, isque eas bene recognitas, quod scilicet per manus ut supra transferint, distribuit, registratoribus inferioribus, qui eas fideliter registrant in libris, seu registris bene ordinatis, qua in tempora in Apostolico Archivio reponi solent; Alii que adhuc officiales, & praesertim ille parva data, & quidam particularis revisor dispensationum matrimonialium, qui gerit eas partes in hoc gratiarum genere super revisione, ac reformatione supplicationum, quas generaliter dicti alii revisores gerunt.

Per hunc autem registrationis actum, sequi dicunt omnimoda gratia perfectio, adeo ut, ius quod situm dicatur gratiano, non autem prius *de benef. disc. 42.* dum antequam ista perficiantur, gratia esse dicitur, potius, in via, quam in termino; Ad instar eorum que habemus in materia testamentorum, donec sunt in via, non adhuc redacta, ad ultimum terminum testandi, *de testamen. disc. 13. cum seq.* dum non solum isti officiales, supplicationes Jain signatas, & datatas, corrigeret, seu reformatio posse, addendo vel minuendo, & aliqua castiando; Verum etiam Datarius habet in facultatibus eas etiam pro libito lacerandi, vel alias retinendi, *dictio de benef. disc. 42.* Sequitoque dicto registrationis actu perficiente, consignantur expeditoribus, ut per officiales de quibus *disc. sequenti*, expediant litera, que pro gratia exequitione ac effectu, necesse sunt, & sine quibus ex regula Cancellariae de non judicando, iuxta formam supplicationis, ipsa supplicationes, quamvis perfecte, & registratae, ut supra, non suffragantur; Aliquis causibus exceptis, in quibus id receptum sit, puta ubi agatur de exiguis beneficiis duorum ducatorum valorem non excedentibus, aut de pensionum classificationibus, sive de provisionibus aliquorum officiorum vacabilium minoris ordinis, juxta stylum, qui totum facit, atque Dataria, & Cancellaria regulator dicitur.

Unde propterea conclusionem habemus quod Dataria & Cancellaria dicuntur organa Papæ, atque ex earum stylis, eiusdem Papæ voluntas intendit, seu regulari solet in questionibus subreptionis vel obceptionis aut defectus intentionis. *Mantic. decis. 214. Gregor. & add. decis. 150. decis. 115. par. 10. rec. & sep. 5.*

Qui autem & quales isti stylis sunt, non de facile, ut ista compendiosa relatione videtur explicabile, cum nimiam redoleret evagationem, cum integrum exigat tractatum; De eis autem agunt dicti moderni scriptores, qui de praxi, & stylo Dataria agere professi sunt, ac etiā alii qui praxim dispensationum Apostolicarum pertractarunt, aliique beneficialistæ, apud quos videendum erit;

Atque

Atque aliqua in rerum beneficialium vel pensionum adnotacionibus insinuantur, *Amayden de stylo daturia Corrad. in praxi dispensationum, Lotter. & Gonzal. de benef. & sub tit. de pensione ac etiam sub tit. de judic. agendo de exequatione literarum Apostolicarum.*

Ex tot officialium autem interventu, ac diligentiis, manat ea recepta conclusio, quod in iis, quae juris sunt, in Papa non datur ignorantia, quodque concedendo ea, que juri adversantur, ita implicitè illi derogare seu dispensare dicatur; Non quod in Papa, qui est homo, ut sunt alii, supponenda sit perfecta, & prompta totius juris scientia, qua natura-  
liter est impossibilis, potissimum quia aliquando sunt Pontifices, in aliis quidem scientiis, & facultatibus versati, non tamen juristæ; Sed ex ista ratione assecuratur tot officialium, qui in suis rebus vivere materiis peritissimi, quod generaliter cūcūmque alteri Principi congruit.

**31** Quamvis autem hoc Dataria Tribunal, gratiosum potius, quam contentiosum sit, dum gratia, qua per Papam conceduntur per hoc organum explicantur; Adhuc tamen forma contentiosa frequenter in eo dignoscitur, non tamen cum formaliter tela judicaria, sed in quadam forma summaria etiam cum interventu Advocatorum, & Procuratorum oretenus, & in scriptis, praesertim super concernentibus officiis Curiae, ac etiam materiis beneficialibus, vel in dignoscendo, an suffragentur indulta concessa Cardinalibus, & aliis Prelatis; Vel an suffragetur, bēneque facta sit acceptatio alternativa per Ordinarios, qua sit per Datarium, unde propterea eius libro defertur; Sive circa pectorarias imprentationes certo modo, an concedendæ sint, nec ne, ac super alii, qua concernant declarationes mentis Papæ, quam Datus tanquam minister informatus, eiusque organum declarat, *Buratt. dec. 883 in fin. dec. 115. num. 4. & seq. par. 10. rec.*

Iraq; in suo munere tanta fidei ac auctoritatis reputatur, ut eius attestacionibus, vel declarationibus, aliquæ gestis adeo deferatur, ut neque concedatur facultas probandi contrarium, *dec. 68. num. 8. & seqq. par. 5. rec.* In iis tamen que assent vel declarat durante officio, non autem post illud expletum quando regulariter ei non differtur, nisi in casu, quo profacti qualitate, & circumstantiis Rota vel alter Judex, ex officio illum interroget, ideoque regula desuper statui non potest, cum materia arbitraria sit. *Buratt. dec. 835. num. 14. dec. 5. num. 12. p. 10. & rec. infinitus titul. de Regal. dsc. 14.*

**35** Prout neque regula statui potest circa stylos, dum indies, pro casuum, & inconvenientium contingentis per Constitutiones Apostolicas, vel per decreta varia sunt provisiones, ut praesertim nostra estate, sub Innocentio Decimo, praxis docuit super solemnitatibus adhibendi in transumptis literarum Apostolicarum, de quibus in beneficiali sede agitur, cum similibus, *de benef. dsc. 76.*

Quia verò nimis incommode, ac tardiosum esset ut Papa negotiorum tanta multitudine presfus, cogatur manus sua signare, ac singulariter res cognoscere omnes supplications etiam super illis gratiis levioribus vel minoribus, que de stylo omnibus concedi solent, ac nemini denegari; Hinc proinde ad instar eorum, que superiorius agendo de Secretaria brevium insinuata sunt ex quadam generali delegatione ipsius Papæ Datario, eo ipso quod huic videatur, quod gratia concedi possit, vel de-

beat, supplications per eum, aliosque officiales, ac revisores ut supra recognitæ vel respectivè recognoscendæ pro negotiorum diversa qualitate, nomine Papæ signantur per quemdam officiale in forma *concessum*, quod scilicet dicitur *concessum* per Dominum Papam tanquam per viam attestationis, ut è converto supplications, que signantur per ipsummet Papam, habent diversam formam per verbum *fiat ut petitur*, ac juxta illam diversam subscriptionem commissionum forensium, si fiat per viam *Signaturæ Gratæ*, ac alteram *Signaturæ Justitiae*, ut in istorum Tribunalium particulari rubrica inferius advertitur.

Iste verò modus signandi commissiones per *concessum*, quandoque in gravioribus etiam gratiis & negotiis, in quibus supplications signantur manu Papæ, practicari solet, quando Papa infirma valetudine, vel alio impedimento detentus id per se ipsum commodè explicare non potest, atque dum hoc munus alicui Cardinali vel alteri nimium qualificatae fiduciariae personæ per ipsum Papam committi solet, neque de potestate dubitare fas est.

## DISCURSUS X.

De Cardinali Vicecancellario; Et de Cancellariae Apostolicæ officiis, eorumque muneribus.

## SUMMARIUM.

- 1 *Q*uidam studi officium sit antiquissimum, & de ratione.
- 2 De nomine seu vocabulo Vicecancellarii, & curia dicatur.
- 3 Quod sit officium magne existimationis, & utilitatis.
- 4 Habet titulum fixum Sancti Laurentii in Damaso, & ibi annexum insigne Palatum.
- 5 Quæ munera exercet, sive in quo eius officium veretur.
- 6 Nobilita product emolumenta, & quæ sint magis considerabilia.
- 7 De scedula consistorialibus super provisionibus Ecclesiastum, & aliis.
- 8 In eius Cancellaria Palatio efformantur etiam omnes Bulla seu littera Apostolica.
- 9 De Officialibus Cancellaria, nempe de Regente, de Presidentibus parci, & aliis, eorumque munere.
- 10 Ista officia sunt venalia, & de ratione remissive.
- 11 De introductione annatarum, & emolumentorum pro expeditionibus literarum Apostolicarum.
- 12 De congregazione officialium, & expeditorum in Cancellaria.
- 13 In Palatio Cancellaria sunt disputationes publicæ Auditorum Rotæ, & Advocatorum Consistorialium.
- 14 Quam Presidentiam habeat Vicecancellarius Rotæ in Auditorio.
- 15 De officio Regentis Cancellariae circa commissiones causarum.
- 16 Officiales Cancellariae quam facultatem habent adjiciendi in literis præter supplicationes.